Quelle: https://manuscripta.at/?ID=5026
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png">



verba que ego locutus sum vobis
spiritus et vita sunt. Sed sunt quidam
ex vobis qui non credunt. Sciebat
enim ab initio Ihesus qui essent non
credentes: et quis traditurus esset
eum. Et dicebat: Propterea dixi vo-
bis: quia nemo potest venire ad me
nisi fuerit ei datum a patre meo.
Ex hoc multi discipulorum eius abie-
runt retro: et iam non cum illo am-
bulabant. Dixit ergo Ihesus ad
duodecim: Numquid et vos vultis
abire. Responsit ergo ei Simon
petrus: Domine ad quem ibimus: Ver-
ba vite eterne habes et nos credi-
mus et cognouimus: quia tu es
Cristus filius dei. Respondit eis Ie-
sus: Nonne ego vos duodecim
elegi: et ex vobis unus diabolus
est. Dicebat autem de Iuda Simonis
Iscariothis: hic enim erat traditu-
rus eum cum esset unus ex duodecim.

VII

Post hec autem ambu-
labat Ihesus in galilea:
non enim volebat in iudea
ambulare: quia querebant eum iu-
dei interficere. Erat autem in diebus
festus iudeorum scenopegia.
Dixerunt autem ad eum fratres eius:
Transi hinc et vade in iudeam: ut
et discipuli tui videant opera tua
que facis. Nemo quippe in occulto
quid facit: et querit ipse in palam
esse. Si hec facis: manifesta te
ipsum mundo. Neque enim fratres eius
credebant in eum. Dixit ergo eis Ie-
sus: Tempus meum nondum aduenit. Te-
pus autem vestrum semper est paratum.
Non potest mundus odisse vos: me autem
odit: quia ego testimonium perhibeo
de illo: quia opera eius mala sunt.
Vos ascendite ad diem festum hunc:
ego non ascendo ad diem festum istum
quia meum tempus nondum impletum
est. Hec cum dixisset: ipse mansit in
galilea. Ut autem ascenderunt
fratres eius: tunc et ipse ascendit
ad diem festum non manifeste: sed
quasi in occulto. Iudei ergo querebant
eum in die festo: et dicebant: Ubi est
ille. Et murmur multus de eo erat
in turba. Quidam enim dicebant: quia
bonus est: Alii dicebant: non: sed se-
ducit turbas. Nemo tamen palam
loquebatur de illo: propter metum iudeo-
rum. Iam autem die festo mediante
ascendit Ihesus in templum et doce-
bat. Et mirabantur iudei dicentes:
Quomodo hic litteras scit: cum non
didicerit. Respondit eis Ihesus et
dixit: Mea doctrina non est mea: sed
eius qui misit me. Si quis voluerit
voluntatem eius facere: cognosce-
ret de doctrina: utrum ex deo sit:
an ego a me ipso loquar. Qui a
se ipso loquitur gloriam propriam
querit. Eum autem qui querit gloriam
eius qui misit eum: hic verax est
et iniustitia in illo non est. Nonne
moyses dedit vobis legem: et nemo
ex vobis facit legem. Quid me que-
ritis interficere. Respondit turba
et dixit: Demonium habes. Quis
te querit interficere. Respondit Ihe-
sus et dixit eis: Unum opus feci: et
omnes miramini. Propterea moyses
dedit vobis circumcisionem: non quia
ex moyse est: sed ex patribus: et
in sabbato circumcidetis hominem.
Si circumcisionem accipit homo in
sabbato: ut non soluatur lex moysi:
mihi indignamini quia totum
hominem sanum feci in sabbato. Noli-
te iudicare secundum faciem: sed iusti-
tiam iudicium iudicate. Dicebant er-
go quidam ex Ierosolimis: Nonne
hic est quem querunt interficere:
Ecce palam loquitur: et nichil ei
dicunt. Numquid vere cognouerunt
principes quia hic est cristus. Sed